HOMILIARIUM

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25997
Copyright: Admont, Benediktinerstift

lico preconio iohannis gloria predicatur· uirtus insonuit
laus collaudat. nec est quod illi adiciat homo. cui deus con
tulit totum. Spiritu sancto inquit replebitur adhuc ex utero
matris sue. Videtis fratres quemadmodum iohannes ante peruenit
ad celum quam tangeret terram. ante accepit diuinum
spiritum quam humanum. ante accepit diuina munera
quam corporis membra. ante accepit uiuere deo quam sibi. immo
antea uixit ille domino. quam deus uiueret illi iuxta illud apostoli.
Iam non ego uiuo. sed uiuit in me christus. Sexto inquit mense
sue matris exultat in utero. et in utero uirginis uenisse
nuntiat christum. Feruens nuntius. qui ante gestiuit nuntia
re quam uiuere. Inpatiens dux. qui ante quam perueniret ad
corpus peruenit ad regem. ante arripuit arma quam mem
bra. ante aciem petit quam lucem. et ut uinceret mun
dum. uicit ante naturam. Ipse enim sine uisceribus uiscera
matris exsuscitat. et quia tardabat corpus solo spiritu implet
euangelizantis officium quod dicam fratres. Iohannes ante quam christum precederet.
se ipsum precessit. patris et matris filiique corda unus atque idem
spiritus sanctus implet. et uno cantatus organo resonat natiuita
tis dominice cantilena. VIDE SUPRA.

SANCTI IOHANNIS baptiste natalicia hodie pro
secuturus tacere uolui. et laborem atque imperitiam
meam silentio coercere. sed eius ipsa uis nominis mini
me silere permittit. Nam nuncupatio uocabuli ipsius
pectoris nostri urguet secreta. silentii nostri resoluit archa
na. et quod simulatione siletur admiratione compelli
tur. Si enim pater zacharias. cum eum nominauit
uocem recepit. quanto magis nos cum eum laudamus elo
quium promeremur. Et illi os cum infecto nasceretur aperuit.